

vero decimo anno in monasticæ vitæ sanctimoniam multato statu transire in animo habeat, ut neque huic salutaris conatus impedimentum aliquod obviet (hoc enim, ut videtur, et sacra synodus intelligens, ac volens, tempus quo vitam monasticam adire esset, ampliavit) *ne tamen is quomodo istiusmodi vitam ineundi, sic etiam de rebus suis testandi facultatem accipiat: sed donec illud tempus, quo legitimam plenamque ad testandum ætas potestatem capit, advenit, a disponendis rebus inhibeat. Quod si (ut sunt res humanæ) ante illius temporis completionem e vita excesserit, servi ejus omnes a servitute liberentur: reliqua vero bona bifariam dividantur in bessem et trientem: ac bessem quidem monasterium auferat, triens autem defuncti cognatis detur. Quorum si nulli supererunt, quo bes processit, eo triens quoque abeat.*

CONSTIT. VII.

UT QUOTIESCUNQUE A CLERICORUM HABITU AD PROFANORUM TRANSIRE PER VECORDIAM ALIQUIS TENTARIT, IN ILLUM IS INVITUS ETIAM RESTITUATUR.

Aliter:

NE CLERICUS DENUO PROFANUS FIAT.

Idem Imperator Stephano sanctiss. Constantinop. archiepiscopo, et patriarchæ universali.

Quemadmodum antehac, quando certiore firmioreque rerum constitutionem investigaremus, si civilis lex plus roboris ac firmitatis, quam ecclesiastica præbere videretur, illi prærogativam dedimus: eo modo et hic decretum sacrum recte rerum moderationi, quam civile sit, conducibilis fore intelligentes, illi per assensionem consona præscriptione edita, statuimus, *ut quicumque clericorum habitum mutare profanorum habitu improbe instituerit, is quotiescunque actus fuerit in istiusmodi vecordiam, secundum ecclesiasticum decretum, quantumvis invitus in clericorum habitum restituatur: tametsi qui ecclesiastici ordinis statum recipiat, dignus non sit, uti qui se ipse illo indignum transfugio constituerit.*

CONSTIT. VIII.

UT QUI REJICERE VENERANDUM MONASTICÆ VITÆ HABITUM IN ANIMUM INDUXERIT, AC PRO ILLO PROFANORUM HABITUM SUSCEPERIT, QUOTIESCUNQUE HOC FACERE AUSUS FUERIT, ETIAM INVITUS IN ILLUM RESTITUATUR: ET EX QUO MONASTERIO IMPROBE AUFGERIT EIDEM REDDATUR.

Aliter:

DE EO QUI VITAM MONASTICAM DESERTIT, QUI PRÆSIDUM COHORTIBUS ASCRIBI SOLET.

Idem Imper. Stephano sanctissimo Constantinop. archiepiscopo, et patriarchæ universali.

Cum aliqui, qui incomposite vivere instituant, ac præ laudatis moribus sectantur vitiosos, quotiescunque flagitii quicquam designasse deprehensi sint, malum ipsorum institutum multifariam coercerant, nec improbam, scelestamque voluntatem ac molitionem correctione vacare toleretur: subit mirari, quomodo lex vetus iis qui monasticæ vitæ exercitationi se mancassent, deinde vero stationem suam et ordinem deseruissent, quomodoque sacre literæ habent, tanquam canes ad suum ipsorum vomitum, aut suos ad pristina vitæ cenosam cloacam reversi essent, ac profanorum in habitu statuque seipsi collocassent: improbum hoc scelus tentari omninoque perfici permiserit. Jubet enim, ut qui semel monasticæ vitæ institutum reliquerint, unde flagitiose exissent, revertentur: qui vero iterum id ausi essent, ex eo tempore pulsati monachatu, inter cohortales provincialis cohortis recenserentur. Atqui si ut desertor ordinis profanorum habitu indueretur, id illi statutu pulchrum visum fuit, quid causa est cur ipsum ab initio ita non vestierit: sed ut qui monachus professionem suam semel deseruerit, is ad illam quamlibet invitatus denuo cogatur, constituerit? Si hoc ita præcipi decorum puta-

CONSTIT. VII. — 1. N. 8. inf.
CONSTIT. VIII. — 1. L. 53, § 1, C. de episcopis; N. 5, c. 6; N. 6, c. 7; N. 125, c. 42. — 2. d. N. 125, c. 42. — 3. Abrogat. d. N. 5, c. 6; d. N. 125, c. 42; L. 53, § 1, C. de episcopis.

vit, quare in eodem decreto non consistit, sed tanquam ipsum placiti sui peniteat, miserum illum monachum ad militarem vitam protrahit? Nequaquam vero id nobis esse fas videtur, *neque* qui in divina militiæ legiones receptus sit, hunc in mundanis militiis placet collocari. At contra, quod ecclesiastico ordini observari debere visum est, ut si quis sæpius vitam monasticam asperratus vegetur, huic profanum habitum recipere non concedatur, id per legem etiam nos jubemus. Si enim qui vitam monasticam exiit, mundana voluptatis velut asylo concitus id facit: quæ ratio est, tametsi semel cupiditatis suæ motu prohibitus sit, quum si rursus ad hoc faciendum animum appellat, se ad finem insolens suum consilium perducatur, ac in profanorum statum recipiendum esse sciat, ut is non omnibus modis monasticæ vitæ institutum iterum communi vivendi modo mutet?

CONSTIT. IX.

DE SERVO QUI IGNORANTE DOMINO CLERICUS FACTUS EST.

Idem Imperator Stephano sanctiss. universalique Constantinopolitano archiepiscopo.

Eidem recte rerum ecclesiasticarum constitutionis curæ insistentes, quæque sacrosanctis canonibus placuerunt, hæc nos etiam album calculum adjicientes, ab adversariis civilibus legibus hanc contradictionis penam, ut ex legitimis constitutionibus subtrahantur, exigimus. *Ut enim qui, cum servilis conditionis esset, ignorante domino venerandam sacerdotii dignitatem assumpsit, natus istinc promanant honore, in pristinum servitutis restitueretur statum, secundum ecclesiæ Dei voluntatem et nos constituimus. Legem autem, quæ servum ignorante domino sacerdotem factum servitute liberat, huc ut neque effectum, neque fandi facultatem habeat, redigimus.*

CONSTIT. X.

DE SERVO QUI INSCIO DOMINO MONACHISMUM SUSCEPIT.

Idem Imperat. Stephano sanctiss. Constantinop. archiepiscopo, et patriarchæ universali.

Quam præstans monasticæ vitæ professio sit; quique suave illud et beatum jugum suscipiant, quanta illi reverentia et honore digni sint, scimus quidem et ipsi. Itaque non quo illum vituperemus, sed potius quo vituperatione eximamus, hæc statuere visum est, et censemus. Quanto enim illa admirabilior divinioreque est, tanto majore et quidem quanta maxima attingi cum veneratione, nequaquam vero ingratiudinis et improbitatis velamen ac prætextum monasticæ vitæ dignitatem fieri oportet. Et certe quomodo improbitas dicenda non est, si homo servus, dominum suum fugiens, ad illud vitæ institutum deveniat. Quoniam igitur de servis fugitivis ad vitam monasticam devenientibus, statutum a superioribus est, ut si intra tres annos fugitivus manifestus fiat, illum habitu nudatum recipendi facultatem dominus habeat: si vero usque in tertium annum incognitus manserit, tametsi postmodum agnoscat, ut domini potestati non obnoxius sit, præterque illius voluntatem liber nuncupetur: et vero inde multos fugiendi dominos suos occasionem cepisse, ac re honesta monasticæ vitæ professione, ad tegendam malitiam abuti videmus (cullibet enim servo perfacile est, ut ad triennium se occultet, deindeque libertatem consequatur) jubemus, *ut quantumcumque tempore servus tali consilio monachus factus delinuerit, si ipsum aliquando dominus inveniatur, nihilominus is quem malo proposito habitum sumpsit, hoc exuatur, rursusque in domini potestatem subigatur. Nam quod pio affectu habitum illum sumpsit, quantumvis id verbis ipse fingat, ne dici quidem potest. Sive enim cum benevolo placidoque domine uteretur, pro amore, odio concepto, fugere decreverit, extremæ ingratiudinis et improbitatis argumentum habes: sive (ut sunt res humanæ) molestiis et injuria affectus non toleravit, ac idcirco dominum deseruerit, quomodo eam rempublicam magnificet, quæ cives suos in Christi crucem et mortem continenter respicere vult?*

L. ult. § 4, § 5, in fin. C. de episc. aud.
CONSTIT. IX. — 1. N. 125, c. 17. — 2. d. N. 125, c. 17.
CONSTIT. X. — 1. N. 5, c. 2, § 2, ter. triennium.

CONSTIT. XI.

DE SERVO QUI IGNORANTE DOMINO EPISCOPUS FACTUS EST.

Idem Imp. Stephano sanctiss. Constantinop. archiepiscopo, et patriarchæ universali.

Quod de servo qui venerandam sacerdotii dignitatem furatus sit, idem et de illis servis quibus nesciente domino ad primarii sacerdotii honores conscendere visum est, statuimus: ut videlicet secundum ecclesiasticæ constitutionis voluntatem exauctorati, honore in quem clam irrepserint, preventur, et ad suum servilemque statum reducantur. Non enim profecto qui aliis in rebus furto vel fraude aliquid subtrahunt, his non modo ea quæ subtraxerint retinere non concedimus, sed interdum etiam ut maleficos puniamus: et qui tantarum rerum furta audent, hos inde honeste vivere, et ex uno fraudis pessimo exercitio duo omnium longe pretiosissima, libertatem et sacerdotii prærogativam, lucrari sinemus. Ergo si quis servus ignorante domino episcopus creatus sit, inde ad servitutis effugium nisi juvatur.

CONSTIT. XII.

DE OFFICINARUM MAGNE ECCLESIE USU.

Idem Imperator Stephano sanctiss. Const. archiepiscopo, et patriarchæ universali.

Constantinus, his qui primus Christi nomine imperii coronam splendidiorem ac augustiorem reddidit, ubi etiam dignum aliis suis præclaris facinoribus imperatoriæque cura fore prospexisset, de sepultura nempe eorum mortuorum quos in ea etiam re egestas premeret, officinas, ex quarum vectigali necessariis ad humandos mortuos sumptus suppeditandos ordinasset, sanctæ Dei ecclesiæ applicavit. Hanc igitur provisionem quum piorum hominum æmulatio postmodum excepsisset, quæ et ipsa pauperibus ad sepeliendum sufficeret, periculum illa in hunc usum sumptus auxit. Verum nunc omnino nihil ea sollicitudine, qua initio ter ille quarterque beatus princeps voluit, dispensari inde videas. At nos, et scientes quidem quod postquam ecclesiæ officinarum vectigalia occupavit, tametsi (quod usus non postulet) in quem ab initio constitutum est, numinis cultum illa non expendat, in aliud tamen quoddam ministerium, et ipsum ad numinis cultum pertinens, prorsus illa dispenset: statuimus, *ut quæ de his jam olim edita constitutio est, immota et inviolata permaneat. Officiæ autem omnes, quæ in hoc ministerium attributæ sunt, supra mille numero sunt ad centum.*

CONSTIT. XIII.

DE PERPETUIS EMPHYTEUSIBUS.

Idem Imperator Stephano sanctiss. Constantinop. archiepiscopo, et patriarchæ universali.

Rem fraudulentam simul et illicitam consecratarum Deo ædium (ecclesiarum videlicet, hospitiorum, et viduis pupillisque alendis destinatarum domum) præfectos etiam audere ad nostras delatum est aures. Narratum est enim quam domus elocuta sint, jamque tempore pacto constitutum decurrat, quando locationis terminus, ac possessionis renovatio instat, non fieri certam aliquam et statutam solutionem quam peculiari nomine εἰσδεκτικὴν vocant: sed quomodo præfectis pro ipsorum avaritia visum sit, ita exactionibus domuum possessores prægravari. Id igitur cum omnibus grave, tum pauperioribus (quod ita ipsis durior egestatis necessitas imponatur) longe esse acerrimum videntes, ne id amplius fiat lege cavemus: sed *ut certa quantitate ad duplum emphyteutici vectigalis constituenda solutio definiatur: et insuper omnis illatio locationis instrumentis inscribatur, domique nulla novatio adferatur: non vero in præfectorum quæstum intervertatur, dum illi non ut domuum utilitati consulant, sed seclæste sibi lucrum parent, hoc agunt.*

CONSTIT. XI. — 1. N. 9, supr.
CONSTIT. XII. — 1. N. 48, N. 59. — 2. d. N. 45, in princ.; d. N. 59, in pr. — 3. d. N. 43.

CONSTIT. XIV.

DE HIS QUI MONASTERIUM IMPERFECTUM RELINQUUNT

Eidem.

Qui præcipitanter ambitioseque ad faciendum aliquid fertur, ac ipso in initio viribus ac facultate destituitur, sive manifestum vitium, sive benignitatis speciem conatus præ se ferat, simul ille reprehensione dignus, simul aspernandus est. Hoc sane et qui similitudines ab initio proverbialique loquitur, Dominus noster et servator in Evangeliiis vult, ubi de ædificatione urbis et absoluteione, ac de similibus sermocinatur. Merito igitur et sacre leges et civilia decreta similes edunt, ejusdemque sensus admonitiones, ut quicumque monasterium construere instituerent, si ad perficiendum opus pares non essent, id aggredi prohiberentur. Oportet enim quascunque res, ubi ad perfectionem pervenerint, tum deum convenientem appellationem indipsi: nequaquam vero nomen rebus imperfectis, ut consummate constitutionis sint, præstare potest. Itaque (quod dictum est) recte sacra civilisque lex eos qui ad rem absolvendam pares non sint, fabricandi monasterii inceptione prohibet. Verum quoniam incognitum illud est, quando monasterium sufficienter absolutum judicari debeat (non enim expresse ab illis hujusmodi absolutio definita est) hæc de re certum atque evidens edictum promulgare placuit. Dicimus igitur (quoniam divinum os loquutum est: *Ubi duo aut tres in nomine meo congregati sunt, ibi in medio illorum sum*) *quod opus aliquod monasterii appellationem subiturum, minimum tribus sufficere oporteat: quod nimirum idem opus, si facultatibus quoque abunde instruat, ad celebritatem nominis etiam valeat. Ut ergo quis liberam impedimentoque carentem ad dedicandum monasterium aggressionem habeat, in tot minimum monachos dedicationem concepit accessu fuerit. Porro quia permulti, qui se istiusmodi incepto dedunt preveniente morte, ipsosque hominum consortio eripiente, interdum proposito destituuntur: illud a nobis statuitur, *ut si testamentum conditum sit, quæ in illo ecclesiæ assignata sunt, ea illi cedant. Si vero (ut idemidem ex mortis incertitudine contingit) antequam de rebus suis statueret, evectus fuerit, tum si ad tres numero liberi supersint, quadrantem bonorum involabit monasterium: sin ultra ternarium numerum sobolis multitudo procedet, liberis connumerabitur monasterium, et deducto ære alieno, ex universa substantia, quantum ipsorum quisque capiet. Quod si defunctus sine liberis decesserit, parentes autem superstites habeat, rebus bifariam divisus, una pars parentibus, altera monasterio applicabitur. At si neque parentes, neque liberos heredes habeat, et cognati ad hereditatem prodeant, ipsi quidem quocumque fuerint, trientem inter se distribuent, bes vero ecclesiæ accedet. Verum enim vero si aut per oblivionem aut aliam quampiam causam, in contrariam laudabili legitimoque proposito testamentum sententiam conceptum sit, ut ejus loci antistes Dei amantissimus, quantum ad ecclesiæ, eorumque qui in illa assessuri sunt, sustentationem suffecerit, vendicet: de reliquis vero legum præscriptio et testamentum dijudicet.**

CONSTIT. XV.

UT SALUTAREM BAPTISMUM IN QUOCUNQUE SACRO ORATORIO PERAGI LICEAT.

Idem Imperator Stephano sanctiss. Constantinop. archiepiscopo, et patriarchæ universali.

Etiam hic venerandæ sextæ synodi sacer canon, qui non in privatarum ædium oratoris seorsum, sed in solis in communem usum consecratis templis, divinam regenerationis lotionem perfici vult, quum similia cum illis jubeat, qui sacrosancta sacrificia et mysteria in privatis domibus celebrari vetant: ideoque a nobis jam pridem consideratus expensi sunt: tanquam illorum germanus similiter correctionem consequeretur. Statuimus igitur, *quemadmodum de sacrificiis, sic quoque de salutaris baptismate, ut et ipsum in quocumque sacro oratorio quilibet peragere licitum sit. Nam hæc tam stricte sacrum synodi decretum constituisse mihi quidem videtur, propter eos qui quantum sacerdotum nomen gerant, profani tamen sunt, et quos ad lavacrum adducunt, pollutos reddunt: qui (ut apparet) domos ejusdem opinionis hominum subeuntes, non rem divinam faciunt, sed cum iis qui conveniunt inauspicati aliquid moluntur. Hanc vero provisionem tametsi et divinam esse, et multa salutaria continere constat: non tamen illa ad im-*

CONSTIT. XIV. — 1. N. 67, c. 2; N. 151, c. 7. — 2. Vide tamen L. 12, D. de testib.
CONSTIT. XV. — 1. Abrogat. N. 58. — 2. N. 4, supr.; N. 58.

pietatis plenos a suis vitiis coercendos sufficiat. Nam et res audax est malitia, omnique modo, clausis etiam oratoris, ad explendum propositum suum, suam inveniat viam. Verumtamen quum nunc divina gratia omnes perversæ opinionis sint profligatæ, etiam quantum ad hoc attinet, quomobrem reipublicæ hoc decretum ad prohibendam in privatarum ædium oratoris regenerationis lotionem obtrudatur, nullam equidem esse necessariam causam video.

CONSTIT. XVI.

UT QUI VIGINTI¹ ANNOS HABET, HYPODIACONUS CREARI POSSIT.

Eidem.

Vetus verbum, quod de rebus suis dicenti aures esse aperiendas monet, cum in aliis omnibus perbelle sese habeat, tum hic longe esse pulchrius apparet. At quorsum hoc? Civilis lex² statuit, ne minor viginti quinque annis in divinis officiis creetur hypodiaco. Decretum sacrum contra statuit, ut qui ad istiusmodi ministerium accedit, hunc vigesimus annus ad ordinationem perducatur. Dignum itaque sacram legem de rebus suis precipientem audire imperatoria nostra majestas rata, et in eandem cum illa sententiam descendit, et statuit, ut qui ad vigesimum annum pervenit, modo antea vitæ ratio obstaculo non sit, quantum ad ætatem, hypodiaco officium suscipere non impediatur.

CONSTIT. XVII.

DE PUERPERIS, QUANDO DIVINORUM MYSTERIORUM PARTICIPES FIANT: ET QUANDO INFANTES BAPTIZENTUR, POST QUADRAGINTA VIDELICET DIES, EXTRA QUAM SI NECESSITAS URGEAT.

Eidem.

Id quod beatitudo tua postulat, a vobis procedere, quam a nobis originem sumere ac proficisci, æquius fuerat. De re enim sacra sanctitatem tuam sancire oportebat. Verum quoniam super uno duntaxat capite consilium consultare (quum de multis decernere concilii sit): inconveniens esse, nos vero et citra concilium decretum facere posse dicitis: ad monitionem suscipientes, quibus de rebus postulationem institutis, de iis constitutionem emittimus. Quum itaque Dominus et servator noster, quo splendore gloriæ ipsius illuminarentur qui in tenebris ambulat, juxta atque nos carnis atque sanguinis nostri particeps factus fuerit: valde, mea quidem sententia, a salutifera ipsius providentia diverse sentiant, quotquot eam quæ ex recenti puerperio decumbit, et morte præ foribus consistente, nec diem quem ipsi expectandum autumant (quadragesimum nempe post partum) expectante, citiusque oborto velut collo protrahente, corripitur: illuminatione indignam esse opinantur, et ut ob corporis immunditiam revera illa e vita immunda excedat (quippe quæ in sacris non instituitur, nec sacri lavacri lustrationis, regenerationisque particeps fiat) efficiunt. Neque vero illi periculi damnique magnitudinem, quam inconsiderata ipsorum et perniciose religio adfert, præ oculis habent. Verum ea illa est absurditas, ut oratione non indigeat. Talem enim mulierem incredulam reformationeque destitutam decedere et istiusmodi ob causam pro eo quod inter servandos collocanda esset, in perditorum damnatorumque locum rejici: quomodo fas, Deo, qui per fidem in ipsum et in aqua Spirituque regenerationem, salutem donat, non grave atque acerbum est? Vanam igitur istiusmodi prudentiam dehinc in futurum e medio tollentes de mulieribus, quæ recens pepererunt, quæque naturali expurgatione occupatæ sunt, statuimus, ut si quidem alia quæcunque affectione morbida ipsarum vita non tentetur, usque ad præfinitum quadragesimæ dierum tempus expertes maneat, nondum initiatæ illuminatione: ad sacra receptæ et initiatæ, sacrosanctorum mysteriorum perceptione; at si quis ipsis morbus, qui vitæ interfectionem minuitur, superveniat et incumbat: sacrarum rerum omnibus modis participes fiant. Etenim si illis qui propter enormia flagitia multis annis vivifica communione arcuerunt, mors ad obruens præscriptum tempus incidit, neque quisquam hos sacrarum participatione prohibere sustinet, qua ratione hæc propter naturales carnis sordes prohibebuntur?

CONSTIT. XVI. — 1. N. 75, infr. — 2. N. 125, c. 15.
CONSTIT. XVII. — 1. For. L. ult. g. 3, C. qui potiores.

Quod profecto non tam propter muliebrem hanc immunditiam, quam ob alias causas in intima legis ratione reconditas, et veteri prohibito esse lege, et gratiæ tempus traditionis loco suscepisse puto. Existimo siquidem sacram legem id præscripsisse, quo proterviam eorum qui intemperanter viverent, concupiscentiam castigaret: quemadmodum et alia multa per alia præcepta ordinantur et præscribuntur, quo indomitus quorundam in mulieres stimulus retundatur. Quin et hæc providentia quæ legem constituit voluntas est, ut partus a depravatione liberi sint. Quia enim quicquid natura supervacaneum est, idem corruptivum et inutile est, quod hic sanguis superfluis sit, quæ illi obnoxie essent, in immunditie ad id temporis vivere illas lex jubet: quo ipso etiam nominis sono lasciva concupiscentia ad temperantiam redigatur, ne ex inutili et corrupta materia ipsum animam coagmentetur. Et sane de infantibus eundem ad modum constituimus, ut si non inquietentur, inimicosque nature casus superent, antequam gratiæ splendore illustrentur, quadragesimus dies expectetur. Consentaneum namque est, ut quemadmodum factus quadragesimæ diebus in natura maternoque receptaculo plene informantur, sic etiam in æquali dierum numero in divini gloriæ æternique omnium Patris domum procedant. Si tamen et octavo a partu die, baptizare aliquis volet, neque id absurdum fuerit. Dominus enim noster Christus octavo die circumcisus, imposito circumcisioni fine, pro hac vivifico baptisate initiari concessit. Verum hæc obtineant, si nulla necessitas, quæ mortem minetur, existat. At si periculum aliquod emergens vim vitæ inferat, omni diligentia omnibusque viribus etiam intra octavam diem sacram lotionem peragi oportebit, ne non illuminatus, neque sacri lavacri, atque adeo summi boni experts partus decedat.

CONSTIT. XVIII.

UT IN SPONSALIBUS CONSTITUTA POENA EXIGATUR¹.

Idem Imperator Styliano excellentiss. sacrarum officiorum magistro.

In omnibus rebus e dictis quod præstantius sit seligi, reprehendendum non est. Atque tunc quidem, ut aliquid sequere, aut declinandam censeas, non eorum qui aliquid aut faciunt aut dicunt, habenda ratio: sed eorum quæ sunt ac dicuntur, cognoscendus status est. Idcirco quod consuetudini placuit in sponsaliorum reprobationibus poenæ immoveri iis, qui reprobare instituerent, id in legis auctoritatem collocamus. Arbitror enim, id quod consuetudini visum est, ea lege quæ de hujusmodi rebus lata est, nihil improbabilius esse, ac res ipsas referre in melius. Nam quum lex² arrhæ perditione, aut in duplum restitutione solum temeritatem puniat, hæc definitum pacto constitutum in sponsaliorum rescissione subiri damnus vult. Ac sane, ne (ut fieri assolet) sponsalia sursum deorsum ferantur, hoc mihi (quemadmodum dixi) majorem obtinere vim videtur. Solutus enim arrhæ perditio, quæ in eum qui dedit, ac deinde sponsalibus non acquiescit, constituta est: ejusque in duplum restitutio, quam multatam is qui arrham cepit, deindeque in pacto convento non persistit, sustinet: ut propter poenæ levitatem ad pactorum rescissionem, qui id facere cogitant, facilius ferantur, facit. At ex pacto definitæ poenæ gravior damnus sibi obvenire videns inconstans ille tardior omnino ad divellendam sponsalia fiet. Quod sane nos etiam nuptialibus contractibus magis conducibile fore animadvertentes, quod ex consuetudine fieri solet, in legitimam constitutionem traducimus. Ex arrhæ siquidem perditione faciles sponsaliorum eversiones video: ex poenæ persolutione non item. Nam gravior dispendium (pacto enim constituta poenæ arrhæ major prorsus atque gravior est) vel invitum inhibens, animi inconstantiam acquiescere illis, quæ antea de sponsalibus placuerunt, compellet. Sic igitur quod a consuetudine confirmatum est, quemadmodum hactenus, ita deinceps et obtinet, et causas dijudicatum etiam qui sponsalia evertit, poenæ exactione feritur.

CONSTIT. XIX.

DE PACTO¹ PATERNO, EX ÆQUO HEREDEM FUTURUM FILIUM.

Idem Imperator Styliano excellentiss. sacrarum officiorum magistro.

Non contemnendi alios studio (ut et antea a nobis dictum est) neque ut gloriam nobis paremus, ad legum correctionem processimus: sed ut,

CONSTIT. XVIII. — 1. Abrog. L. 154, pr. D. de verb. oblig. — 2. L. 5, C. de sponsalib.
CONSTIT. XIX. — 1. L. 15, C. de pactis.

quod conducibile non est, quoad ejus fieri potest, a subditorum consortio removeamus: id scientes, ad moderandam reipublicam legum rectam constitutionem omnium esse præstantissimam. Nam qui leges reipublicæ oculos esse dixerit, is profecto mea sententia illas ita vocans, nihil indecens pronuciaverit. Quemadmodum enim res maxime necessaria est animali non titubans oculis, ita et reipublicæ legum æquus et rectus status. Hujus ergo nos curam gerentes, posteaquam in selecto Codice legem esse cognovimus, (quæ propter evidentem absurditatem in hominum animis neutquam locum invenit, ut susciperetur: nedum vim aliquam et efficaciam habet. Contraria enim statuit naturali, quæ a parentibus liberis debetur, æquabilitati, adversusque filium patri ad iniquitatem fenestram aperit: quin et parentem ut illi morem gerat obstructum, mendacio, doloque obnoxium facit) posteaquam, inquam, istiusmodi quandam esse legem animadvertimus, tametsi etiam ante nostram sanctionem ipsam ne susciperetur, exclusit communis hominum voluntas: tamen nos nihilominus omnem illi prorsus functionem et usum decreto admimus. At quid dicit? Etiam si, inquit, pater, quum in matrimonium collocaret filium, illum post decessum suum ex aqua parte cum aliis fratribus paternorum bonorum heredem fore pacto promiserit, in potestate tamen illius, si velit, erit, ut pactum ejusmodi negligat, alisque liberis amplius attribuat: et illi cui æquam portionem in hereditate pactum concedebat, minorem assignet. Hoc itaque quantum alioqui (quomodo diximus) in republica nullum locum habeat, nostrum etiam decreto velut in exilium ejetum, omnibus modis in reipublicam ingressu prohibemus. Statuimus vero, ut parentum nemo jura filiorum, quibus cum reliquis liberis æqualem hereditatis portionem servatum iri in nuptialibus contractibus sponderint, innovare tentet. At si quis pactiones suas aspernari, et illius, cui tantundem, quantum alii fratres habituri sunt, promiserit, portioni detrachere compertus fuerit: sciat is, poenitentia mutatam voluntatem invalidam atque vanam habendam. Ex æquo enim cum aliis fratribus secundum initum pactum filius in bona succedet. Neque vero mendaciam veritati præferri ulla ratio patitur, nec æquum est, neque rationabili animali convenit pacta² conventa per improbationem adulterari. Atqui si quid aliud, hoc certe hominem decet³, ut verbis suis fidem præstet: nisi mendacis veritatem corrumpendo destitutus ratione, eorum albo, quæ ratione prælita sunt excidere velit. Quinimo nec illud consentaneum est, ut parentes iis qui pariter ex ipsis nati sunt, non parem curam exhibeant, neque æquabiliter ipsorum vitæ prospiciant: sed alios quidem uberores facultates habere, aliis vero nihil parere, neque illorum misereri, tametsi inopem in miseria victuri sint, velint. Ceterum æquum est ut quemadmodum omnibus liberis ex æquo vitam imperitum sunt, ita etiam ad hanc facultates impertiantur: nequaquam vero, velut accipiti libra his levius quiddam, illis vero gravius, pro inæquabilitate animi sui attribuant.

CONSTIT. XX.

UT NE MARITUS QUEMADMODUM UXOR, ILLA PRÆMORIENTE, PRÆTER DONATIONEM PROPTER NUPTIAS QUICQUAM CAPIAT.

Idem Imp. Styliano excellentiss. sacrarum officiorum magistro.

Cum vetustis legibus¹, quæ de pactionibus nuptialibus tractant, tum in prima matrimonii coitione, tum in ejus dissolutione, quam mors in alterum conjugum irruens efficit, æquabilitatem et viro et mulieri assignare visum sit: haud scio qua re moti, quibus postmodum leges condere studio fuit, diversis constitutionibus has subjecerint. Etenim vetustiores² leges mox a conjugii coitione æquales esse collationes, tum muliebrem, tum virilem, et ut altero vita defuncto, quam liberi nulli supersessent, nec pactum in quo quippiam de lucro significaretur, subesset, ex æquo ad utrumque sua revertentur, constituerunt. Si vero de lucro pactum initum esset, tunc ut uterunque via excessisset, qui superstes esset, receptis rebus suis, insuper quantum pacto comprehensum esset lucraretur, et in ambobus lucri æqualitas servaretur: ita ut viro præmortuo mulier dotem, propterque nuptias donationis partem aliquam, eamve totam, si ita convenisset, asportaret: et si mulier ante virum in mortem incidisset: vir donationem propter nuptias conservaret, illumque lucrum, sive dos tota, sive ejus pars, prout pacta vellent, sequeretur. Atque hæc quidem quum vetustioribus placuissent, posterioribus displicerunt. Quapropter et con-

2. L. 7, § 7. D. d. t. — 3. L. 1, pr. D. de pecun. constituta.
CONSTIT. XX. — 1. N. 97 — 2. d. N. 97, c. 1

tra statuunt: quanquam non recte: statuunt autem, uti statim ab initio conjugii inæquales procedant collationes, et major dos sit, donatio vero propter nuptias contractior, ejusque uxor ab eo die quo matrimonium contractum est, sit domina, quanquam (ut fieri assolet) alterius viri consortio postmodum se mancipet. Et inique judicantes, ubi matrimonium morte distractum fuerit, mulieris mæstitiam lucro consolantur: viri vero supra amissionem uxoris, dispendio rerum ipsius merorem adaugent. Jubent enim, uti mulier superstes cum sua dote universam propter nuptias donationem auferat, et ad hæc ex reliqua mariti substantia tantum quantum dotis donationisque propter nuptias in unam summam contractarum quadrans conficit, eum heres capiat. Quod si mulier ante maritum mortem obeat, tum ut illius heredes una cum dote donationem propter nuptias lucentur: maritus autem nihil aliud quam quantum dotis donationisque propter nuptias quadrans facit, habeat: utique res eum ad modum procedat, sive subsit pactum, sive nihil hujusmodi inter ipsos convenerit. Sed hæc quo modo non iniqua? quomodo pro jure hæc non extrema injuria est? Quæ quidem præmortuo marito mulier accipit, in his fortasse aliqua ratio: quæ vero illa præmortua ad ejus heredes devolvuntur: in his quomodo non omnis injustitia et enormitas inest? Ea propter deceter valde sapienterque perpetuo ille memorandus imperator, et qui ex ipsius lumbis natus post ipsum rebus præest, fecit, qui veteribus legibus auctoritatem conservandam, quæque perverse contra statuerent, eas e republica in exilium ejiciendas putavit. At enim refractaria contentiosaque consuetudo est, ac frequenter absurda aliqua opinio, ubi in hominum animis (eorum præsertim, quibus recto iudicio illam expendere curæ non est) altas velut radices egit, haud facile extirpari qui. Qui homines anticipatam opinionem, quamvis frivola sit amplexantur, noluntque sequi meliora. Adeo ut ne nunc quidem in æternum commemorandi patris nostri constitutio, quæ ad veteres leges nuptialium pactionum rationem reducit, absurdam constitutionem missam esse faciendam persuaserit, atque in quæ ille exilium decreverat, in publico hæc etiamnum usu sint. Quid nos igitur? Postquam semel prævalere visum est, ne in matrimonii coitione ex æquo collationes fiant, sed major donatio propter nuptias dos sit, hoc in republica obtinet; et si mors matrimonium dirimat, tum si maritus sine liberis decedat, pactumque non subsit, uxor dotem donationemque propter nuptias, nihil autem amplius auferat: si vero mulierem mors abripit, dotem heredes ejus capiunt: maritus autem suis rebus ne privator, neque quæ ipsius sunt alii, sed ipse habeto. Quomodo enim iniquum non est, alios ex illius rebus lucrum sentire: ipsum vero, supra amissionem conjugis, bonis etiam suis, sive donatione propter nuptias privari?

CONSTIT. XXI.

UT DOTIS PROMISSIO EX PATERNIS AUT MATERNIS BONIS FACTA PRÆSTETUR.

Idem Imperator Styliano excellentissimo sacrarum officiorum magistro.

Quemadmodum in libra videmus, eam tum recte ad rerum earum quæ ponderantur, dijudicationem desumi, quando lances æquales sunt, neque vel tantillum in alteram partem proclinant: ita quoque lex, quum vel tantillum quidem jus intorquet ac depravat, digna est quæ ad rerum dijudicationem procedat. Illius enim partes sunt, ut æquabilitatem: lusus autem, ut jus stabile conservet. At quorsum hæc? In Codicibus descripta constitutio¹ est, quæ dum a parentibus qui in matrimonium liberis collocarunt, promissa dotis donationisve propter nuptias nomine facta exigit, haud scio quomodo jus commisceat. Vult namque, uti pater, qui pro liberis dotem donationemve propter nuptias promiserit, si promissionem indistincte fecerit, illam totam de suo expleat, suisque solis ex bonis persolvat: sin distinxerit, huncque ad modum locutus sit, *Ex meis filiique bonis promissa exhibebo*: tum si inops sit, nihil ille in promissum contribuat, sed filii facultates, quæ se una cum filio datorum pollicitus est parens, solæ expleant: sed si dives sit, contrarium statuat, ut ipse solus de suo quæ pollicitus sit, expleat, filiusque nihil cum illo communicet: tametsi non se solum, sed cum filio promissum expleturum pollicitus sit: quod filium, qui ipse non promiserit, dare quippiam indignum putetur. Hoc itaque æquitatis subversionem esse rati sumus. Nam quantumque inopia teneatur parens, si filius solus de suo promissa solvat, nulla justitia legis apparet: neque rursus quum satis affluens rerum patri copia est, filium contributionis omnino esse exper-

CONSTIT. XXI. — 1. L. ult. C. de dotis promissis.